



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

Cap. I. De Ecclesiastico Beneficio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066



EXAMEN PRIMVM

De statu Clericali circa materiam de Beneficiis,
Pensionibus, spoliis Clericorum, &
rerum Ecclesiasticarum
alienatione.

CAPVT PRIMVM.

De Ecclesiastico Beneficio.

§. I.
De Cle-
rico, &
Benefi-
cio.



1. *Clericus quid?* Significat sortem, hæredita-
tẽmve, eò quòd Deus peculiariter sit illius
sors, siue pars. Porrò Clerici nomine in ma-
teria fauorabili venit habens primam tonsuram, & Religiosus, & Episcopus: at in odia-

sa nec Religiosus, nec Episcopus, nec secundum quosdam di-
gnitas, aut Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, aut qui non est in
sacris. Cum Clericis in iure aliquid prohibetur, aut præcipi-
tur, intelliguntur solum qui sunt in sacris, aut beneficiati.
Obligantur Clerici habitum & tonsuram gestare, nec à pec-
cato mortali excusantur, qui maioribus initiatus Ordinibus,
aut habens beneficium, non gestat tonsuram, vel habitum ad
longum tempus absque iusta causa. Porrò primam tonsuram
eo tantum sine recipiens, vt Clericali priuilegio fruatur, pec-
care mortaliter affirmandum minimè est.

2. *Quid est Beneficium Ecclesiasticum?* Ius legitimum &
perpetuum capiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter
Officium spirituale.

3. *Beneficij Ecclesiastici species recenset.* Aliud est Regu-
lare, aliud seculare: illud regularibus, hoc secularibus con-
fertur. Seulare quidem aliud est *Simplex*, id est, sine admi-
nistracione, sine vlla iuris qualitate, v. gr. Capellania, Cano-
nicatus, &c. aliud *Duplex*, affectum scilicet aliqua iuris qua-
litate, v. g. administratio rei Ecclesiasticæ: præminencia in
Choro, iurisdictione, &c. Certè Duplex aliud habet curam ani-
marum, v. g. Parœcia, Episcopatus, &c. aliud non habet, v. gr.
Archidiaconatus, Decanatus, &c. Duplex sine cura; aliquando
habet tantum administracionem rerum Ecclesiasticarum
v. gr. Officium Sacristæ, &c. aliquando solum præminencia

nam in Choro, v. g. personatus: aliquando etiam habet iurisdictionem in foro externo in Clericos, & dicitur Dignitas. Item aliud est *Manuale*, id est, ad nutum conferentis reuocabile; aliud non manuale, quod non nisi certis ex causis iure permissis reuocari potest. Præterea aliud est *Electiuum*, præuia scilicet electione; aliud *Collatum* sine ea; aliud *Missum* ad præsentationem patroni, & Episcopi institutionem.

4. *Penes quos conferendi Beneficia adsit potestas?* Aliqua Beneficia Papæ reseruantur, vel ratione loci, v. g. quæ in eius Curia vel per mortem, vel aliter vacant. Vel ratione personarum ad se suamque Curiam pertinentium. Vel ratione præminentia, v. g. Cathedrales Dignitates, Dignitatesque principales in Collegiatis Ecclesiis, Præceptoræ generales, sed non Ordinum Militarium. Vel ratione Episcopatus Romani. Vel ratione supremæ potestatis, v. g. omnia vacantia tempore vacationis Ordinariorum: item vacantia mensibus Pontificis, & in alternatiua cum Episcopis. Præterea principaliter aliqua pertinent ad Pontificem iure affectionis, v. g. Beneficium à Papa collatum inualidè propter aliquod impedimentum. Ad Papam etiam iure deuolutionis quædam pertinent. v. gr. si inferior collator ius suum negligat. Aut per confidentiam accepta. Aut vacantia ob hæresim. Aut collata ab Episcopis, examine non præmissio. Aut collata à Clericis ob generis originem, vel hæresimprohibitis

S. 2.
Conferens Beneficia.

5. *Quid de alijs conferentibus?* Concilium generale iure communi Beneficia conferre non potest; in necessitate tamen, Sede vacante, potest: non verò Concilium Cardinalium. Potest tamen Cardinalis conferre Beneficia ad suos titulos, & Ecclesias iis subiectas spectantia. Legatus à latere potestatem habet in suæ Prouinciæ Beneficia etiam ad Papam deuoluta, non verò quo ad menses alternatiuè, nec quo ad Ecclesias Cathedrales, Regulares, Collegiatis. Nuncio Apostolico sine speciali concessione nihil hîc competit. Episcopus conferre potest omnia in sua Dicecesi, exceptis reseruat. *Curio Præbendæ Ecclesiæ Cathedralis?* Ad Episcopum simul & Capitulum pertinet: in Collegiatis tamen probabiliter assero ad solum Episcopum attinere. *Potest ne Capitulum Sede vacante?* Non succedit id Episcopo in Beneficiorum libera collatione, & gratiosa; sed in debita, & necessaria; vnde potest præsentatos instituere, & electos confirmare. Porrò Capitulum non potest infra annum Sede vacante dare Dimissorias nisi iis, qui ratione Beneficij accepti, vel accipiendi Ordines recipere tene

656 *Moral. Theologie Tract. VI. Status,*
tenerentur. Potest item ad tempus vacantia Beneficia com-
mendare, non potest vnire. *Num possit Episcopi Vicarius?* Sine
speciali mandato Vicarius generalis non potest Beneficium
conferre; potest tamen presentatos instituere, & electos con-
firmare. *Quid de laico presentante?* Licet presentare possit
ad Beneficia ratione iuris patronatus, (quod etiam in femi-
na residere potest) ius tamen confirmandi illi nullo modo
competit.

§. 3.
Quot-
nam
modis
confi-
scentur.

6. *Quot modis Beneficia assolent conferri?* Quatuor modis
generalibus Beneficia acquiruntur, Electione, Presentatione,
& institutione, Collatione, Prouisione, quæ fit per Papam.
Electio est alicuius persona ad Ecclesiam pastorem destitutam
Canonicè facta translatio. *Presentatio* est exhibitio quædam
personæ per Patronum ei, ad quem pertinet institutio, legiti-
mè facta: institutio autem est concessio Beneficij facta legiti-
tima autoritate Episcopi, vel alterius, Clerico à Patrono
presentato. *Collatio* est concessio Beneficij vacantis liberali-
ter facta ab habente potestatem. *Prouisio* denique per Papam
fit vel de vacaturis, vel de vacantibus.

§. 4.
Forma
confe-
rendi.

7. *Quenam in prouisione Beneficiorum forma adesi?* Ser-
uanda equidem forma iuris, alioquin actus corruet etiam in
conscientiæ foro, v. gr. si non emittatur professio fidei, vel
non fiat approbatio ab examinadoribus synodalibus iuxta
Tridentinum. Indica formam in Parochialium prouisione.
1. Vacante Ecclesia Episcopus statim idoneum Vicarium
constituet. 2. Præuio concursu & examine dignior eligitur:
aliter facta irrita est. Ad examen omnes admittendi
etiam post edicti terminum, re adhuc integra; non tamen
consanguinei Episcopi ad concursum admittendi, quando
vacat Parochialis per resignationem in manibus eius. *Quid in
prouisione simplicium?* Si liberè conferantur, certa iuris for-
ma non præscribitur.

8. *Quinam Beneficiorum capaces?* Iure Diuino incapaces
sunt fœminæ, iure naturali impotentes ad munera Ordinum
exercenda, vt muti, perpetuò amentes, &c. Hermaphroditus
sexu fœmineo prævalente, vel pari, iure diuino incapax est
prævalente verò virili solùm Ecclesiastico. Iure Canonico
incapaces sunt irregulares ex defectu natalium. Vbi hæc
communis est regula: inhabilis ad Ordines, inhabilis est ad
Beneficia Ordines requirentia. Bigami qui patiuntur defe-
ctum Sacramenti iure Canonico sunt inhabiles ad Beneficia.
Porro non tantùm irregularitas ex defectu, sed etiam ea,
quæ ex delicto est incapacitatem Beneficij inducit. Item
excommu

excommunicati, suspensi, interdicti personaliter inhabiles sunt.

9. *Quanam praequiruntur ad Beneficium conditiones? Praequiruntur Clericatus, siue prima tonsura. Deinde aetas certa. Hodie ad simplex iuxta Trid. annus decimus quartus inceptus, in quo Episcopus non potest dispensare, nisi aliud in fundatione habeatur. Ad Parochiale vigesimus quintus inchoatus. Ad Dignitates & Personatus sine cura animarum, modò requiruntur anni 22. completi. Ad Dignitatem principalem in Collegiata regulariter necessaria est aetas annorum 25. inceptorum. Ad Episcopatum annus trigessimus completus, cum Ordine sacro saltem ante sex menses suscepto. Diacono Cardinali anni 22. sufficiunt. Prouisio sine aetate sufficiens licet bona fides interuenerit, licet vna desit solummodò dies, nulla est. Præterea ea scientia necessaria est ad Beneficium sine qua Officium illi adnexum præstari non potest.*

10. *Exprime in particulari. Ad simplex sufficit posse legere, & scribere, aliquid Latine intelligere; fidei rudimenta tenere: hæc quidem si solum primam tonsuram requirat. Si autem requirat minores Ordines, necessaria est scientia linguae Latinae. Ad Beneficium requirens Ordinem sacrum, si quidem simplex, opus est plena rerum fidei instructione, & omnium ad munus eius pertinentium cognitione: si verò duplex, vt Parochiale, sciat inter alia quomodo Sacramenta administranda. Denique Beneficiarius non solum literis, sed etiam moribus, & vitæ probitate debet esse conspicuus. Collatio tamen facta criminosa, modò excommunicatio absit, & irregularitas, ipso iure, non est irrita.*

11. *Quanam obseruare debeant Beneficiarij, vt in adeptis Beneficijs conseruari possint? Huiusmodi iura ab eis sunt obseruanda. Necessaria est, 1. Scriptura quando à Papa fit prouisio; si ab Ordinario necessaria non est. 2. Prouisus de Beneficio Curato tenetur à die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses publicè fidem profiteri in manibus Episcopi; vel eo impedito, coram Vicario generali, Canonicus vel Dignitas Cathedralis non solum coram Episcopo, sed etiam in Capitulo idem facere tenetur. 3. Debet habitum & tonsuram Clericalem gestare. 4. Pensionem soluere de semestri in semestre, alioqui Beneficiarius est excommunicatus. 5. Obligatur ad horarum Canoniarum lectionem à die pacificæ possessionis. 6. Residentia in omnibus etiam simplicibus Beneficiarijs iure communi exigitur. Excipit consuetudo*

§. 5.
Ad Beneficium
conditiones.

§. 6.
Obseruanda à
Beneficiario,
vt conseruet
Beneficium, ac
vitæ ad.

T: præstim.

658 *Moralis Theologia Tract. VI. Status,*
præstimoniam & Beneficia simplicia in Ecclesiis non Collegiatis; iure tamen naturali in absentia per alium Officio satisfaciendum. Curati iure diuino tenentur residere. Iure verò Canonico obligantur habentes Dignitates in Cathedralibus, Collegiatis, Canonicatus, Præbendas, & Portiones, etiam si Beneficia simplicia sint.

12. *Quotnam causa tum ad breue, tum ad longum tempus excusant à residentia?* Septem. 1. Potest Episcopus quotannis sine continuè siue interruptè ex iusta causa ad summum abesse per tres menses, modò sine gregis detrimento fiat. Parochi per duos: qui habent Dignitates, Canonicatus, Pensiones gaudent trimestri: ad quam breuem absentiam vel animi relaxatio iusta causa est. Pro longiori tempore quatuor generales causæ adiciuntur, videlicet Christiana charitas, euidens communis necessitas obedientia maioribus debita, Ecclesiæ, cui præest necessitas, vel utilitas. Hæ causæ à Pontifice vel à Metropolitano approbantur: vel eo absente à suffraganeo antiquiori, qui etiam approbat Metropolitanam absentiam, idque in scriptis. Sexta causa est Theologiam, vel ius Canonicum audire ad quinquennium, vltra Episcopus dispensare non potest. Septima easdem facultates quantumuis diu docere. Ad docendam Philosophiam vel literas humaniores opus fuit Episcopi licentia ante Tridentinum: in Pij IV constitutione requiritur licentia Papæ cum Episcopi consensu. Imo Parochi ex dictis causis non excusantur ad fructuum perceptionem, nisi cum Papæ licentia consensus adsit Ordinarij.

13. *A quibusnam Beneficiario abstinendum est?* Primò à militia: ad quam proficiscens, & pugnans, eo ipso dimittere Beneficium censetur. Secundò à delatione armorum. Tertio ab officio aduocati apud secularem iudicem: excipit defensionem sui, Ecclesiæ suæ, miserabilium, sanguine iunctorum vsque ad quartum gradum. Non potest esse procurator in criminalibus, vel ciuilibus, exceptis causis assignatis. Quarto, non aleator. Quintò, non sordidus opifex. Sextò non iudex in causis sanguinis, nec ad huiusmodi causas concurrere, nec adesse sine iusta causa. Septimò, nec habere aues, aut capes ad venandum. Octauò, per se ipsum non potest negotiari.

§. 7.
Beneficiarium
dominium.

14. *Num Beneficiarij sint domini fructuum Beneficij?* Fructus domini sunt, non solùm partis ad sustentationem necessariæ, sed etiam superflue, modò religiosa paupertas non impediatur. Iure communi non possunt testari de Beneficijs, aut

at inde acquisitis, ex consuetudine possunt. Non possunt locare prædia, aut fundum Beneficij ultra triennium, possunt tamen fructus etiam ad totam vitam.

15. Quid de fructibus Beneficij tempore vacationis obuenientibus? Iure communi successori reseruatur. Quid autem de quotidianis distributionibus? Eas iure communi tantum dandas esse presentibus ad diuina officia affirmo, nec posse alium præter Papam iuris rigorem relaxare.

16. Canonicus absens ob Ecclesia negotia, vel presens loco, sed absens ab Ecclesia ob infirmitatem? Si ita consuetudo ferat, distributionum est capax. Idem est (eadem fauente consuetudine) de iis, quæ ipsis ad tres menses legitime absentibus obueniunt.

17. De pluralitate Beneficiorum in uno eodemque Beneficario quid dicendum? Iure Canonico generaliter Beneficiorum pluralitas prohibetur. Queisitam ex causis ab eodem iure conceditur? Quinque. 1. Quando exigui sunt redditus. 2. Quando vnum Beneficium alteri est vnitum. 3. Quando Clericus non inuenitur idoneus. 4. Quando vnum datur in titulum alterum in commendam. 5. Quando vnum habet curam animarum actu, aliud habitu tantum. Addiderim excusare indulgentiam, & iustam dispensationem.

S. 8.
Pluralitas Beneficiorum.

18. Quenam sunt Beneficia incompatibilia? Primò omnia curata Deinde ea quæ vocantur Dignitates, Personatus, vel Officia. Tertio, Canonicatus. Quarto, Portionatus in Cathedralibus, & Collegiatis. Quintò quædam dicuntur incompatibilia sub eodem tecto. Sextò, duo etiam simplicia dicuntur incompatibilia, quando vnum sufficiens.

19. Quodnam beneficium sufficiens? Prudentis iudicio statuendum, habita ratione personæ, & aliarum circumstantiarum.

20. Quenam autem sint compatibilia? Primò simplicia non requirentia residentiam. Secundò cum vnum requirit residentiam non alia, eaque ad sustentationem necessaria sunt. Tertio, si plura vnita. Quarto si vnum in titulum, aliud in commendam. Quintò, si plura tenuia, non tamen curata nisi valde vicina. Sextò, si duo curata vnum actu alterum habitu. Septimò, si Beneficio addatur pensio non in titulum. Octauò, defectu personarum. Nonò, si Beneficium coniungatur cum Vicariatu generali Episcopi, vel alterius Ordinarij. Decimò ex consuetudine, cum naturali iure non pugnanter.

21. Quisnam in pluralitate dispensat? 1. Papa; 2. Papæ Legatus

gatus modò non sint Episcopatus, Dignitates, Curata, nec sub eodem tecto, nec congruam sustentationem excedentia.
 3. Episcopus potest cum eadem limitatione; deinde etiam quando sub eodem tecto dissimilia sunt, & vnum non est sufficiens: non verò quando similia, vbi nec Legatus Papæ potest.

§.9. *Beneficij amissio.* 22. *Quotnam modis assolet Beneficij amissio contingere?* Tribus. Primò ipso facto, vt cum quis possessionem amittit non titulum. Secundò, ipso iure, vt cum quis autoritate iuris priuatus est ipso Beneficio, possidet tamen de facto. Tertio de facto, & de iure, vt cum quis illud deponit, & nondum collatum est alteri.

23. *Scio ipso iure vacare aliquando sine delicto, ex delicto aliquando: quoniam modo sine delicto vacat?* Per mortem naturalem, per civilem, id est, professionem religiosam, per matrimonium validum, solùm etiam ratum, non per inualidum. Item quando Episcopus legitimè ab vna Ecclesia transfertur ad aliam, prima vacat per pacificam secundæ possessionem.

24. *Quoniam modo autem vacat ex delicto?* Primò ratione hæresis. 2. Per schisma. 3. Ob percussionem Cardinalis, vel Episcopi. 4. Per homicidium qualificatum, v. gr. per conductum pretio ad Christianum occidendum. 5. Ob literarum Apostolicarum falsificationem. 6. Vacationem Sodomitæ scilicet exercitata inducit. 7. Occisio per se vel per alium Rectoris, vel Clerici Ecclesiæ suæ, in qua Beneficium habet. 8. Sermonia confidentiæ. 9. Alienatio bonorum Ecclesiæ Pontificis inconsulto. 10. Violentia Beneficij possessio. 11. Priuatus etiam Parochus est, si culpa sua intra annum ad Sacerdotium non promoueatur. 12. Item examinatores ad Parochialem, si pro examine aliquid accipiant. Addunt alij crimen Laicæ Maiestatis, & alia non ita liquidi iuris.

25. *Assigna effectus ipsam priuationem consequentes.* Primus est, posse impetrari Beneficium ante condemnationis sententiam. Secundus, priuatum non facere fructus suos. Tertius, non posse de Beneficio disponere. Porro ante delicti declarationem non cogitur Beneficium dimittere.

26. *Quisnam denique per sententiam iudicis meretur priuationem?* Primò, non residens. 2. Homicida. 3. Publicus concubinariarius post monitionem. 4. Perurus. 5. Blasphemus in Deum, vel Sanctos. 6. Obtinens Beneficium secundum requirens residentiam cum primo, si non sit Dignitas vel Curatum. Porro de Beneficiorum permutatione, resignatione

gaatione, ac confidentia lege plura apud *Castrum Palao*, & *Villincium*.

CAPVT II.

De Pensionibus Ecclesiasticis.

17. **Q**uid *Pensio*? Aliquando certam fructuum portionem ex Beneficio detractam, & alteri soluendam, aliquando ius ipsum ad illam portionem significat.

18. **Q**uotuplex? In Clericalem & laicalem communiter dividitur; hæc propter officium seruitij alicuius corporalis Ecclesie exhibiti, vel exhibendi conceditur: illa ad sustentationem status Clericalis assignatur.

19. **Ecclesia Pensiones à quonam imponi possunt?** Iure communi ea potestas penes solum Pontificem summum est. Iure tamen antiquo in aliquot casibus Episcopis aliquid licet. Possunt namque hi Pensiones imponere, 1. Pro concordatione litis, & bono pacis. 2. Pro egenis. 3. Pro benemeritis. 4. Ad usum pium. 5. Pro renunciantè causa alimentorum. 6. In quantitate moderata. 7. Pro sustentatione Beneficium constituentis. 8. Ad coequandos fructus in permutatione. Requiritur tamen semper eum tale quid sit causæ expressio. Legatus quidem à latere idem in sua prouincia potest.

20. **Quinam personis incapaces?** In primis quidem incapaces sunt quicumque inhabiles ad statum Clericalem, vel absolute vt foeminae: vel durante impedimento, vt infantes, infideles, &c. Item inhabiles ad officium recitandum. Profectò impetrans pensionem à sciente irregularitatem, vel aliud impedimentum, validè obtinet, quamuis illicitè: intellige si conferens sit inferior Papa, aut in illo impedimento dispensare nequeat.

21. **Potest ne conferri pensio laico volenti Clericum suscipere?** Potest, fructibus tamen non gaudebit priusquam Clericus factus sit.

22. **Dari ne potest pensio excommunicato?** Laicalis quidem potest. Pontifex sciens alicuius impedimentum, confert pensionem. Eo ipso censetur dispensare.

23. **Assigna causas pensionis constituendæ, & conferendæ?** Ad duo capita reuocantur, lucri nimirum, & oneris; vnde pensionum alia dicuntur ex causa lucratiua, alia ex causa onerosa. Ex causa lucratiua sunt quæcunque ad purum commodum